



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Generalibus Principiis Amoris Et Morum - Prolegomena septem,
Librosque undecim complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput V. Argumentum sextum ex 1. Cor. 16. Omnia vestra in charitate
fiant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73187](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73187)

CAPUT V.

Argumentum sextum ex 1. Cor. 16. Omnia vestra in charitate fiant.

- 16 **S**ensus quippe est: *Omnia referri debent ad finem charitatis, ut scilicet fiant propter Deum*, uti S. Thomas exponit lect. 3. in eum Apostoli locum. Nullum etiam actum ibi Apostolus exigit, nullam adhibet restrictionem ad certa tempora, quibus hoc faciendum fit; sed generaliter & absque restrictione, seu limitatione temporum, dicit: *Omnia vestra. Nec consultit, sed (Augustino teste lib. de correptione & grat. c. 3.) precipit Apostolus, dicens: Omnia vestra in charitate fiant.* Idque contextus evincit. Sic enim habet: *Vigilate: sate in fide: viriliter agite: omnia vestra in charitate fiant.* Atqui vigilare & viriliter agere, est præceptum. Similiter ergo, omnia in charitate facere, est præceptum.
- 17 Quod præceptum non ideò definit esse affirmativum, quia pro omni actu deliberato obligat: sicut præceptum, *Oportet semper orare*, non definit esse affirmativum, quia pro omni momento vitæ moralis obligat. Sicut etiam primum maximumque mandatum non ideò definit esse affirmativum, quia complectitur & totum cor, id est, omnes cordis affectus; & totam mentem, id est, omnes cogitationes; & totam animam, id est, omnes vitæ sensitivæ operationes deliberatas; & totam firmitudinem, id est, omnes deliberatos actus exteriores. Et idem est de præcepto Apostoli: *Omnia vestra honestè fiant*, id est, ex motivo honesto, modoque, loco, & tempore debito. Quæ omnia, quia complectuntur universitatem humanorum actuum, non ideò affirmativa esse desinunt, quia pro omni actu deliberato obligant. Enim-vero, etsi sic explicitè affirmativa sint, ut implicitè contineant præceptum negativum, nihil faciendi nisi ex fine debito, cumque omnibus debitis circumstantiis, nihil amandi nisi finaliter propter Deum, non hærendi per amorem in creatura, &c. Vide suprâ lib. 6. n....

CAPUT VI.

Argumentum septimum ex 1. Petri 1. Secundum eum qui vocavit vos sanctum, & ipsi in omni conversatione sancti sitis.

- 18 **M**andatum istud, quo jubemur in omni conversatione esse sancti, ac per consequens in omni actu deliberato esse sancti, non semel in divina Scriptura repetitur. Et ratio redditur Lucæ 1. quia ad hoc Deus factus est homo, *ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi, in sanctitate & justitia coram ipso, omnibus diebus nostris.* Profectò si omnibus diebus, profectò & omnibus horis, omnibus momentis, &c. Ideò

namque se totum Deo homini dedit per Incarnationem, ut homo fieret filius Dei, totus Dei, peculium & possessio Christi, templum, victima, sponsa Dei, &c. omnique proinde momento vitæ moralis viveret vitæ Dei, viveret ut totus Dei, ut filius, templum, victima, sponsa Dei, ut peculium & possessio Christi, &c. ut omni proinde momento sanctè viveret, prout demonstratum est lib. 6. cap. 7. & 8. At verò nequit omni momento vitæ moralis sanctè vivere, nisi in omni vita, actione, conversatione morali Deum amet, ad Deumque proinde, Deique amorem omnem vitæ suæ moralis partem, actionem & conversationem dirigat, uti ostensum est ibidem n. 91.

CAPUT VII.

Argumentum octavum ex 2. Cor. 5. Pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est.

EX hoc loco efficax argumentum habes ibidem n. 73. 74. 75. 76. Vide ibi.

CAPUT VIII.

Omni amorem actumque deliberatum referri debere in Deum propter se dilectum, communis est traditio Sanctorum.

§. I.

Nonnulla præmittuntur ad evidentiam testimoniorum referendorum.

Recolenda est regula 5. ad dignoscendam traditionem Proleg. 3. c. 15. n. 108. exhibita, nimirum, quòd *ubicumque plures è gravioribus plurium Nationum Patribus aperte conspirant in eundem sensum, in materia fidei vel morum, nec aliorum veterum Patrum sententia reperitur in contrarium: conspirans illorum sententia sufficiens est traditionis argumentum.* Nec ad id necesse est quòd referantur omnes. Cùm hoc vix possibile sit, nec unquam practicum in Conciliis, in quibus hæreticorum errores per Patrum traditionem confutati fuere.

Ad ostendendam proinde Sanctorum traditionem, in puncto presenti, sufficit exhibitio plurium è gravioribus variarum Nationum vetustis Patribus. Quibus non paucos adjiciemus è Recentioribus sanctis.

Omni itaque actum deliberatum in Deum propter se dilectum referri debere, eorum imprimis traditio est, qui aiunt, omnes actus nostros in Dei gloriam finaliter esse referendos, vel propter Deum faciendos. Siquidem Deus propter se dilectus, finis est omnium, quæ sunt finaliter propter ipsum. Quæcumque enim propter Deum fiunt, ex gratuito Dei amore, Deique charitate fiunt: cum charitas sit amor Dei propter se, vel creaturæ